

phim, nusquam illis annumeratur Spiritus sanctus. Attribuitur autem ei templum, et adoratio quæ est propria Dei I Corinth. VI : *An nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Ubi Spiritus sanctus cui membra assignantur pro templo, dicitur Deus, quia de ipso subditur quod portemus Deum in corpore nostro, ut pote tamquam in templo : talis etiam veneratio debetur Spiritui sancto quod ejus injuria est injuria Dei, et peccatum irremissibile, ad Heb. X : *Quanto putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Ergo contumelia quæ fit Spiritui sancto est sicut injuria quæ fit Filio Dei : ergo supponit quod veneratio quæ debetur Spiritui sancto est adoratio, quæ debetur Deo. Similiter Matth. XII dicitur : *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum non remittetur ei, etc.* Ergo Spiritus sanctus est Deus, quia peccatur in ipsum, sicut et in Filium, imo et gravius. Denique, Spiritus sanctus est ipsa beatitudo, quia dicitur I Petri I : *Nunc nuntiata sunt vobis per eos qui evangelizaverunt vobis Spiritu sancto misso de caelo, in quem desiderant Angeli prospicere, sed ille in quem desiderant prospicere est eorum beatitudo, et finis ultimus, qui est Deus : ergo Spiritus sanctus Deus est.*

XXVIII. Sequitur tanta Scripturarum testimonia concors Ecclesiæ catholicæ sensus et assensus in explicando hoc mysterio, in quo simpliciter fatetur esse tres Personas realiter distinctas consubstantiales, et in una essentia deitatis identifi-

catas. Quod et patres unanimiter testantur, et Concilia omnia a Nicæno Concilio usque nunc, dum perpetuo eandem formulam fidei quæ in Symbolo est, profitentur, et admittunt : in Symbolo autem aperte continetur hoc mysterium Trinitatis. Et inter alia diserte in hoc mysterium contra omnes errores explicatur in Concilio Romano sub Damaso, in Concilio Toletano III, IV et XI et in Braccarenensi I et in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, ut habetur in canone : Firmiter de summa Trinitate et fide catholica, et canone : Damnamus, eodem titulo, et in aliis multis Conciliis, et hanc esse traditionem et doctrinam ab exordio nascentis Ecclesiæ aperte docet Tertullianus adversus Praxeam, cap. II, ubi mysterium Trinitatis explicans, et proponens : « Hanc, inquit, regulam ab initio evangelii decurrisset, etiam ante priores quosque hæreticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium hæreticorum, quam ipsa novellitas Praxea hesterni. »

XXIX. Hactenus testimonia contra hæreticos, et Judæos, aliosque qui Scripturas agnoscunt pro mysterio hoc, et vera fide stabilienda adduximus. Pro paganis autem, et ethnicis, qui Scripturas non agnoscunt, non potest hoc mysterium convinci, sed solum persuaderi, et tamquam credibile proponi, sicut et aliæ res fidei. Duo tamen possunt paganis evidenter ostendi de hoc mysterio, cum ipsis proponitur fides.

Primum est, hoc mysterium inter articulos nostræ fidei vere contineri, ac proinde non posse veram et supernaturalem fidem ab ipsis acceptari, nisi hoc mysterium credatur, quia si Deo per Scripturas loquenti debent credere, constat hoc mysterium ibi contineri, et sic si-

militariter credi debere, licet nihil simile illi sit in rebus creatis, quia non est mirum aliquid debere esse in creatore ita magnum, et sublimem, quod nihil illi simile sit in creaturis : ac proinde non esse regulandum per ea quæ de creaturis et earum processibus cognoscimus vel discurremus.

Secundum est, posse evidenter defendi hoc mysterium a difficultatibus, quæ contra illud objiciuntur, et sic non debere judicari impossibile, cum sit evidenter defendibile. Unde præcipua vis ad persuadendum hoc mysterium paganis, ex solutione difficultatum in contrarium increscet, quas sequenti articulo recitabimus. Modus autem declarandi ipsum mysterium, et ea quæ circa processiones, et relationes ac singularum Personarum proprietates, et constitutiva se offerunt, deinceps per totum tractatum explicabuntur.

ARTICULUS III.

Expediuntur ea quæ contra hoc mysterium ab hæreticis, et infidelibus objiciuntur.

Contra hanc veritatem catholicam ex quatuor præcipuis capitibus possunt objici argumenta et difficultates.

Primo, ex locis Scripturæ, quibus hæretici videbantur moveri.

Secundo, ex speciali repugnantia divinæ naturæ ad istam distinctionem Personarum.

Tertio, ex eo quod hoc mysterium videtur destruere principia evidentia, et necessaria naturalis luminis.

Quarto, ex aliquibus sophismatibus, quæ videntur ex positione talis mysterii induci, illisque utitur Valentinus gentilis, alique nostri

temporis novi Ariani, et Sabelliani.

LOCA SCRIPTURÆ EXPLICANTUR.

Primo, objici possunt quædam loca, quæ positive videntur, Filio Dei attribuere inferioritatem ad Patrem, et illum dicere creaturam.

Secundo, alia loca quæ videntur enervare, ea quibus nos ejus divinitatem, et consubstantialitatem volumus adstruere. Et advertendum est quod eadem fere loca quæ nituntur probare Christum, et Spiritum sanctum non esse Deum, sed solum Patrem, serviunt pro Sabellianis ad probandum non dari nisi unam Personam in Deo quæ vere sit Deus, non plures.

I. Prioris ergo generis sunt illa loca quæ Christum minorem, et inferiorem Patre affirmant, sicut dicitur Joan. XIV : *Quia Pater major me est, et Apostolus dicit de Filio I Corinth. XV : Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui subjecit sibi omnia.* Quod certe non potest intelligi de humana natura assumpta : nam in hac multo magis fuit illi subjectus ante glorificationem suam, quam cum omnem potestatem sibi datam ostendet. Item dicitur creatura, Ecclesiastici I : *Prior omnium creata est Sapientia : et cap. XXIV : Creator omnium et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo : et in eodem capite : Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam : et Apostolus ad Coloss. I : Qui est primogenitus omnis creature.* Quibus locis fit mentio de Filio, non ratione incarnationis, sed secundum se, et ut procedens a Deo, et tamen nominatur creatura. Si ergo nos facimus argumentum, quod ex eo quod nominatur Deus, debet intelligi pro vero Deo, cur similiter

ex eo quod nominatur creatura, non intelligitur de vera creatura in omni proprietate.

Confirmatur primo, quia Scriptura soli Patri tribuit divinitatem: ergo excludit ab illa Filium, et sic solum dabitur unam Persona divina. Antecedens probatur ex illo Joan. xvii: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*, ubi solus Pater nominatur verus Deus, etiam comparatione Jesu Christi missi: excluditur ergo ille a ratione veri Dei. Et Apostolus I ad Timotheum ultimo, loquens de Christo comparatione ad Patrem inquit: *Quem suis temporibus ostendit beatus et solus potens Rex regum, et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem*. Ergo contra Scripturam est velle alium facere Deum, si solus Pater est Deus.

Confirmatur secundo, quia Filio tribuitur ignorantia dici iudicii, Marc. xiii: *De die autem illa nemo scit, neque Angeli in celo, neque Filius, nisi Pater*. Tribuitur etiam impotentia, Matth. xx: *Sedere ad dexteram vel ad sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo*: et Joan. v: *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*: ergo ipse in se non est Deus: sic enim faceret a se. Et in hujus consequentiam dicitur Filius audire a Patre, et Pater ei demonstrare, et tradere omnia; quod utique supponit non esse Deum, sed in se esse indigentem, et carentem eo quod sibi datur a Deo. Quod si dicitur Filius facere, et creare, et operari id quod Pater, tamen non modo divino, sed instrumentali, et inferiori, ut cum dicitur per ipsum fieri sæcula, per ipsum esse omnia, sed non ex ipso, ubi particula per designat ministerium et inferioritatem.

II. Respondetur auctoritates illas quæ Filium minorem Patre esse affirmant, loqui de Filio in natura assumpta, in qua minoratus est, non solum respectu Patris, sed etiam paulo minus ab Angelis, scilicet in natura passibili, in qua natura etiam dicitur servus Patris non servitute vili ex peccato orta, sed generali omni rei creatæ, et similiter dicitur obedire Patri, et ab eo mandatum accipere, etc. Et ex ipso textu constat, in hoc sensu loqui Christum cum dicit: *Pater major me est*, præmiserat enim: *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem, quia Pater major me est*. Ire autem ad Patrem solum convenit Filio in natura assumpta, in propria enim non vadit nec movetur ad Patrem, sed in illo est semper. Similiter cum dicit Apostolus quod tunc, et ipse Filius subjectus erit ei, manifeste loquitur de Filio ut hominine; loquitur enim Apostolus in verbis antecedentibus de resurrectione Christi, quæ utique ei convenit ut homo, et de regno quod tradet Patri cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, quod regnum dicit fore tale, quod omnia erunt subjecta sub pedibus ejus. Quæ utique subjectio fiet per operationem divinam, quæ Christo homini subjiciet omnia, juxta illud ad Philipp. iii: *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ secundum operationem, qua possit subjicere sibi omnia*. Illa ergo operatio subjiciens omnia Christo ut homini erit operatio divina, non humana. Unde quando sic omnia subjiciuntur Christo, tunc et ipse Filius in eadem natura humana in qua resurrexit, et in qua omnia sibi subjecta erunt, etiam ipsi Deo subjectus erit, quia manifestabitur operationem illam non procedere ab humanitate Christi nisi ut ab instrumento divinitatis,

tis, quod si instrumentum ejus est: ergo et subjectum. Apparebit ergo tanta claritas Christi ut hominis, quod ostendetur ipsam humanitatem esse instrumentum conjunctum divinitati ad universalem administrationem omnium quatenus subjicit sibi omnia, et sic Filius ut homo subjectus erit ei, qui subjicit sibi omnia, ut instrumentum principale, ut sit Deus omnia in omnibus, id est, ut omnia tribuantur Deo. Nunc autem etsi major subjectio Christi apparuerit in patiendo, sed non major subjectio Deo in agendo, et in subjiciendo sibi omnia, sicut tunc apparebit, cum Christus ut homo ex subordinatione ad operationem, et influentiam Dei subjicit sibi omnia. Videatur D. Thomas super hunc locum Pauli I ad Corinth. xv et iv contra gent. cap. viii.

III. Ad id quod dicitur appellari Verbum, seu Filium Dei creaturam respondetur juxta S. Thomam in fine dicti capituli viii et I p. q. xli, art. II ad III, ubi docet illas auctoritates, quæ sapientiam dicunt creatam, loqui non de sapientia quæ est Filius, sed de sapientia quam indidit creaturis, sicut dicitur Ecclesiastici I: *Ipsæ creavit eam* (scilicet sapientiam) *in Spiritu sancto, et effudit illam super omnia opera sua*. Et dicitur prior creata sapientia, scilicet in Angelis, qui sunt priores creaturæ. Quod si aliquæ auctoritates specialiter loquuntur de sapientia quæ est Filius et procedit a Deo, et illam dicunt creatam, loquuntur de Filio in humana natura assumpta, sicut cum dicitur: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*. Tabernaculum autem creatoris, fuit Christi humanitas et corpus. Ut autem inquit D. Thomas loco nuper citato vocatur aliquando in Scripturis processio Verbi generatio, aliquando creatio, ut ex utroque sumatur aliquid per-

fectionis, ad integre explicandum generationem illam: nam generatio eandem substantiam communicat genito, sed cum mutatione: creatio diversam substantiam communicat creaturæ, sed sine mutatione creatantis. Processio autem Verbi est sine mutatione in eadem substantia generatio. Quæ expositio fuit cujusdam Concilii orientalis, ut ex Hilario in libro de Synodis refert S. Thomas citatus. Cum autem dicitur primogenita ante omnem creaturam, et primogenitus omnis creaturæ, si referatur ad Filium in natura divina dicitur primogenitus omnis creaturæ, quia ipse est Filius, et non est creatura. Nam si respectu omnis creaturæ, seu omnis collectionis creaturæ primogenitus est, utique extra omnem creaturam est. Unde tunc constructio litteræ est: Ego ex ore Altissimi primogenita, prodivi ante omniam creaturam, ita quod ly ante omnem creaturam constructur cum ly prodivi. Et in Paulo notanda est illa causalis: Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa. Si ideo dicitur primogenitus, quia in ipso universa sunt condita: ergo ipse non est conditus, sed solum genitus, quia universa condidit. Si vero intelligatur de Filio in natura humana dicitur primogenitus omnis creaturæ, quia primus prædestinatus est: de ipso enim in capite libri scriptum est, et in ipso elegit Deus reliquos electos; et sic antecedit omnem creaturam quasi omnium caput, et princeps, et primogenitus. Et ex hoc sumitur disparitas, pro qua instat argumentum: Cur si Scriptura vocat Filium Deum, et vocat creaturam, nos intelligimus esse Deum in omni proprietate, non autem creaturam, nisi tantum in natura assumpta? Dicimus in promptu rationem esse, quia si natura propria esset creatura, non posset verificari

quod esset Deus: nec enim per assumptionem naturæ potest esse Deus, sed si est Deus, necessario et ab æterno est Deus. Ergo oportet quod si dicitur Deus, et creatura, hoc secundum dicatur in natura assumpta, et non in propria: sic enim falsificaretur quod esset Deus. Creatura autem potest verificari solum per assumptionem naturæ de novo factam. Et convenienter appellatur creatura, non obstante quod in se est Deus, ut ostendatur quid dignatus est esse pro nobis, et incarnationis mysterium insinuetur, simul et prædestinationis, quia in natura humana constitutus, et creatus, est caput omnium hominum et Angelorum, et omnis creaturæ. Quod autem prædestinatur, dicitur creari, quia ex non meritis, et gratuito beneficio, conceditur, et præparatur, et illud sic præparari creari est.

IV. Ad primam confirmationem respondetur quod in illo loco: *Ut cognoscant te solum verum Deum*, ly solum sumi potest vel ut adverbium, vel ut nomen adjectivum. Primo modo non habet difficultatem, quia facit sensum quod Pater tantum est Deus, Christus autem quem misit non solum est Deus, sed etiam homo; Pater autem nihil aliud est quam Deus. Secundo modo, sensus etiam est facilis, sumiturque ex Crysostomo super hunc locum Joannis et Ambrosio lib. v de fide, cap. II: *Cognoscant te solum verum Deum cum Christo quem misisti*, quasi ipse solus cum Christo misisset verus Deus, non ipse solus sine Christo. Et in ly misso subintelligitur etiam Spiritus sanctus quia ipse misit Christum ut hominem juxta illud Isai. XLVIII: *Et nunc Dominus misit me et Spiritus ejus*. Sicut etiam I Corinth. IX, dicitur: *An ergo solus, et Barnabas non habemus potestatem*; quasi dicat: Ego solus cum Barna-

ba, ubi non excluditur Barnabas per ly solus, sed adjicitur et conjungitur illi; et est communis modus loquendi, ut cum dico: Solus ego et Petrus fecimus hoc vel illud. Quare exclusiva solusetiam adjective nunquam excludit tres Personas, quia inseparabiliter sunt in essentia, sed personas extraneas. Et sic cum dicitur quod solus habet immortalitatem, solus est potens, etc. ly solus non excludit Personas divinas a consortio immortalitatis et potentiae, sed personas creatas, et Deum qui est illæ tres Personæ, immortalitatem dicit habere, etc.

V. Ad secundam confirmationem dicitur, quod Filius nihil potest ignorare, cum in ipso sint omnes thesauri scientiæ et sapientiæ, sed dicitur ignorare diem judicii, ut bene citato loco ex IV contra gent. dicit S. Thomas, quia ad modum ignorantis se habuit ut homo, quia de illo die tacuit, seu non revelavit. Qui enim aliquid tacet seu occultat, videtur respectu aliorum quasi ignorans, seu ad modum ignorantis se habens, dum non manifestat quod sciat. Et tamen Pater hoc etiam modo dicitur scire, quia manifestat illum diem Filio, etiam ut homini. Filius autem manifestat quidem Spiritui sancto, sed ut Deus, non ut homo: sic enim nulli manifestat. Si autem Angeli in cælo scirent, non possent scire nisi manifestando aliis, quia in Angelis scientia descendit in inferiores ex illuminatione et influenza superiorum. Sed de hoc latius III p. q. XV. Ad illud de impotentia concedendi discipulis sessionem ad dexteram, et sinistram respondetur, quod Dominus non dixit ad suam potestatem non pertinere illam distributionem, sed non pertinere sic, id est, ratione propinquitatis carnalis, sed ex debita præparatione, et dispositione Patris, et consequenter sua, quia quæcumque

Pater facit, et Filius similiter facit, et omnia dedit Pater in manus. Et ideo signanter dicit dare vobis: nam ly vobis determinat personas petentes in quantum tales, quia propinquierant. Quibus ergo paratum est a Patre, et similiter a se, dare illis suum est, qui reddet unicuique secundum opera sua, et sic sedes illæ a dextris, et a sinistris ex prædestinatione Dei dependent. Sine illa non est meum, inquit Christus, dare, nec ob propinquitatem in carne, et sanguine, quia nec Patris est sic dare. Quod vero dicitur ex Joannis quinto, non posse Filium facere quidquam a semetipso, sine ullo omnipotentiae præjudicio dictum est, sed solum significatur, quod id quod Filius operatur et habet, per generationem accipit a Patre, non a se, nam et essentiam ipsam et divinitatem non a se habet, sed per generationem accipit, non per creationem. Et sic Filium non posse facere quidquam a semetipso, sed quod viderit Patrem facientem, non significat quod non faciat propria, et divina virtute, quæ tota est a se, id est, increata, et non ab alio extraneo participata, sed solum quod non potest facere a se ut persona ingenta, sed ut nata, et orta a Patre, et consequenter prout viderit Patrem facientem. Quod vero dicitur Filium audire, et accipere a Patre, non propter indigentiam Filii dicitur, sed propter sibi communicatam intelligentiam, quia ipsum intelligere Patris et ipsam sapientiam accipit per generationem, et accipit eandem quæ in Patre est, non aliam, quia divina est, et parti non potest. Ad id quod dicitur Filium dici in Scriptura quod faciat omnia quæ Pater, modo instrumentali et inferiori, quia dicitur Pater facere per ipsum, in primis respondemus Scripturam non solum dicere creaturas esse conditas per Filium, sed etiam in ipso omnia constare

ipsum cum Patre, componere omnia, et similiter facere sicut Pater, omnia portare Verbo virtutis suæ, ut videri potest ad Colossens. I: *In ipso condita sunt universa, omnia per ipsum et in ipso creata sunt, omnia in ipso constant*: et ad Heb. I: *Portans omnia Verbo virtutis suæ*: et infra: *Tu initio Domine terram fundasti, etc.* Proverb. VIII: *Dum ipso eram cuncta componens*: Joan. V: *Quæcumque Pater facit, et Filius similiter facit*. Non ergo dicitur esse omnia per ipsum ita aride et jejune, sicut per instrumentum, et ministrum, sed tamquam per virtutem principalem et coessentialem cum Patre, sed ab ipso derivatam et acceptam generatione; et ideo significatur illa præpositione per. Secundo, dicitur ex D. Thoma infra q. XXXVI, art. III, quod præpositio per denotat medium, seu ordinem aliquem in processione, seu actione alicujus rei. Et potest esse medium in virtute, et auctoritate, vel in instrumento, et ministerio; potest etiam virtus esse eadem, sed solum ordo in suppositis seu personis. Est ordo in auctoritate et virtute, sicut cum dicitur quod Ballivus operatur per regem, seu per auctoritatem regis. Et contra vero cum dicitur quod rex operatur per suum Ballivum, ly per significat ministerium et instrumentum. In divinis Pater operatur per Filium tamquam per personam a se genitam, sed eadem virtute, et auctoritate cum illa, et ita est ordo in Personis, non in virtute et potentia operativa.

VI. Secundo arguitur: Quia loca quæ a nobis inducuntur ad ostendendum divinitatem Filii et Spiritus sancti vel distinctionem Personarum, non cogunt: ergo, etc. Antecedens probatur, nam si quæ loca maxime ostendunt divinitatem unam Personarum et distinctionem inter se, sunt illa Joan. X: *Ego et Pater*